



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Reliquias B. Aloysij sibi datas honorat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

beret is qui fuerat Ioannis in Tyrocinio Magister, multi ei gratulabantur tam insigni discipulo, quem Tyronem instituisset, qui que tam egregiæ indolis specimen, tam suauem virtutis suæ odorem, quaquà iter tenuerat, latè dissipasset. Lauretum ambo venèrè peruigilio Dominici Natalis; visitatoque Sacratio illo, in quo Verbum diuinum humanis sese induit artubus, cœpit Ioannes cum Collegij Ministro agere de sanctimoniâ beati Aloysij Gonzagæ, deque suo quo ardebat visendi sepulchri eius desiderio narrare. Tum Minister particulam ei Reliquiarum beati Aloysij est impertitus; quam ille veneratione summâ iuxtâ ac gratitudinis significatione accepit. Nocte Natalem præcedente, etiamsi itineris longinquitate fatigatus, ætate simul conditioneque naturæ infirmus, interesse tamen voluit cærimonijs Matutinis, quæ Religione maximâ rituque solemnè in Æde Lauretanâ peraguntur. Interfuit autem genibus perpetuò nixus, oculis nunquam sublatis, corpore immoto, tantâ religionis, tantâ collecti animi significatione, vt omnes conuersis in eum oculis rapti, mox etiam intentis digitis admirabundi alter alteri eum commonstrarent. Nonnulli considerato externo illo indolis habitu, suspicati ab eo de industriâ plus solito modestiæ sumptum,

*Reliquias
B. Aloysii
sibi datus
honorat.*

*Orantis
habitus ac
religio.*